

**IOANNI PAULO II
PONTIFICI MAXIMO
NUNTIATURAEC POLONAE
RESTAURATORI
SACRUM**

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

FUNDATIO LANCKOROŃSKI

**ACTA
NUNTIATURAE POLONAE**

moderatore Henrico Damiano Wojtyska CP

TOMUS I

**De fontibus
eorumque investigatione et editionibus
Instructio ad editionem
Nuntiorum series chronologica**

•
auctore

HENRICO DAMIANO WOJTYSKA CP



Non extinguetur

ROMAE 1990

Redactio et administratio:

Institutum Historicum Polonicum Romae
19, Via Virginio Orsini, 00192 Roma, Italia

Textus compositio graphica:

Helena Łukasiewicz-Bianciardi
Catharina Konopka

Corrector: Lucianus Olech

Editor: Fundatio Lanckoroński
Friburgi Helvetiae

"Acta Nuntiaturae Polonae", nova series editionum Instituti Historici Poloni-ci Romae, hominum benevolentia, auxilio et opera concipi et nasci potuerunt.

Itaque inchoantes nunc eorum editionem, singulari memoria prosequi cupimus virum doctum Stanislaum Smolka eiusque discipulos, socios operisque heredes, Sectionis Historicae Academiae Scientiarum Cracoviensis sodales, qui a. 1886 incepérunt et ad a. 1939 perrexerunt publicationem actorum nuntiaturae apostolicae in Polonia typisque exscribenda curaverunt quattuor magnifica volumina actorum nuntiaturae Ioannis A. Caligarii et Alberti Bolognetti, paratis praeterea ad publicandum aliquot tomis subsequentibus et collecta in Thesis, ut aiunt, Romanis et Nuntiaturarum magna copia documentorum, ad vulganda acta reliquorum nuntiorum pertinentium.

Grato animo prosequimur nomen Rev.mi Valeriani Meysztowicz, in Athenaeo Vilnensi olim professoris, qui studiis suis, quae explorandis rerum Polonicarum collectionibus Tabularii Vaticani, praesertim in "Archivo Nuntiaturae Varsaviensis" asservatis, dedicavit, publicatisque non paucis fontibus ad nuntiaturam Polonam spectantibus, viam quasi complanavit huic incepto nostro in hoc ipso Instituto ad exitum deducendo, quod ad huiusmodi opera publicanda a. 1945 ipse condiderat.

Gratam mentem nostram dirigimus in Fundationis Lanckoroński moderatores in manus eius praesidis, clarissimi domini Ioannis Badeni. Cuius Fundationis cura et liberalitate efficietur, ut haec series nostra etiam in posterum et in multos quidem annos tutam et securam vitam vivere, et integra editio iam nunc accurate diligenterque cogitari et in tomos disponi possit.

Singulares agimus gratias moderatrici Instituti Historici Polonici Romae, prof. Carolinae Lanckorońska, quae a. 1986 difficile hoc et arduum inceptum alacri animo approbare non timuit, et cuius consilio et auxilio tam in parando hoc volumine quam ordinando et coordinando labore editorum abunde usi sumus.

Accuratam, quantum fieri potuit, normarum editionis nostraræ elaborationem debemus viris doctis illustrissimis egregiisque huius rei peritis, Petro Blet SJ ex Pontificia Universitate Gregoriana Romae, Henrico Barycz et Iosepho Gierowski ex Universitate Jagellonica Cracoviensi, Valthero Leitsch ex Athenaeo Vindobonensi, Annae Sucheni Grabowska et Sbigneo Wójcik ex Instituto Historiae Academiae Scientiarum Polonae, quibus magnas hoc loco habemus gratias.

Restat, ut non vulgares tandem agamus gratias Archivi et Bibliothecae Vaticanae praefectis, clarissimis professoribus Iosepho Metzler OMI et Leonardo E. Boyle OP, qui inceptum hoc nostrum approbare et facilius reddere clementer voluerunt. Ceteris quoque utriusque Instituti Vaticani aliorumque multorum sodalibus, qui aditum ad documenta, quae publici iuris facere intendimus, nobis minus arduum effecerunt, sinceras quoque referimus gratias.

*moderator et socii
editores*

